

# CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

## LENT TERM, WEEK 4

### 1. Translate:

*An insomniac laments.*

crimine quo merui, iuvenis placidissime divum,  
quove errore miser, donis ut solus egerem,  
Somne, tuis? tacet omne pecus volucresque feraeque  
et simulant fessos curvata cacumina somnos,  
nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror 5  
aequoris, et terris maria adclinata quiescunt.  
septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras  
stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque revisunt  
lampades et totiens nostros Tithonia questus  
praeterit et gelido spargit miserata flagello. 10  
unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,  
quae sacer alterna tantum statione tenebat  
Argus et haud umquam vigilabat corpore toto.  
at nunc heu! si aliquis longa sub nocte puellae  
brachia nexa tenens ultro te, Somne, repellit, 15  
inde veni; nec te totas infundere pennas  
luminibus compello meis – hoc turba precatur  
laetior – extremo me tange cacumine virgae,  
sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.

**(Stattus)**

## 2. Prepare:

*Eavesdropping on a tiresome journey.*

Thessaliam — nam et illic originis maternae nostrae fundamenta a Plutarcho illo inclito ac mox Sexto philosopho nepote eius prodita gloriam nobis faciunt — eam Thessaliam ex negotio petebam. postquam ardua montium ac lubrica vallium et roscida caespitum et glebosa camporum emersi, in equo indigena peralbo vehens, iam eo quoque admodum fesso, ut ipse etiam fatigationem sedentariam incessus vegetatione discuterem in pedes desilio, equi sudorem fronte detergeo, frontem curiose exfrico, auris remulceo, frenos detraho, in gradum lenem sensim proveho, quoad lassitudinis incommodum alvi solitum ac naturale praesidium eliquaret. ac dum is ientaculum ambulatorium prata quae praeterit ore in latus detorto pronus adfectat, duobus comitum qui forte paululum processerant tertium me facio. ac dum ausculto quid sermonibus agitent, alter exserto cachinno: "parce" inquit "in verba ista haec tam absurda tamque immania mentiendo." isto accepto sititor alioquin novitatis: "immo vero" inquam "impertite sermonem non quidem curiosum sed qui velim scire vel cuncta vel certe plurima; simul iugi quod insurgimus aspritudinem fabularum lepida iucunditas levigabit."

at ille qui coeperat: "ne" inquit "istud mendacium tam verum est quam siqui velit dicere magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum conligari, ventos inanimes expirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri."

**(Apuleius)**